



Disputatio juridica inauguralis de distractione pignorum & hypothecarum

<https://hdl.handle.net/1874/343825>

47.

DISPUTATIO JURIDICA
IN AVGVSTALIS,
D E

Distractiōne Pignorum, &
Hypothecarum.

Q V A M.
AUSPICE DEO OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
Academiā Ultrajectinā Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissime
Facultatis JURIDICÆ Decretò,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Publica disquisitioni subjicit

ARNOLDUS VAN AELST, Ultrajectinus.

Ad diem 14. Martii, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academice
Typographi, clo Ioc xciii.

D E O
TER OPTIMO
MAXIMO
P A T R I A E
E T
P A R E N T I
S A C R U M.

TRAJECTI ET RHENORUM
EX OFFICINA FRANCISCI HALMAE, ACCORDANTIA
TABLODIBVS, CLS 100 KOMT.

PROLEGOMENA.

Cum homines multipli*c*ti labore
summāque cum sollicitudine bona
nobis comparare soleamus, eaque
omnium rerum gerendarum nervi
sint, nihil magis in hac vītā op-
tari, nihil gratius accidere po-
test, quam, ut partis secure
tranquilleque frui liceat. Hinc

familiarum in Civitates coactio: hinc Principum ori-
go: hac omnia tendunt jura. Constituti namque
Principes cum nihil aq*ue* ad Reip. salutem facere,
nec unquam eam magis florere arbitrarentur, quam
cum subditorum res florent, nunquam contra majo-
ri procellā agitari, quam singulorum facultatibus
male se habentibus, id omnibus viribus semper
eagerunt, ut eas non solum contra exterros armis,
sed etiam contra concives bonis legibus tuerentur,
ac sua cuique in tuto pr*æ*starent. Huc quidem omnes
Leges, omnes Principum constitutiones, omnia SCon-
sulta conspirant; attamen pr*æ* ceteris illa, quibus
cavendo securitas pr*æ*stat: sive Jure Civ. sint in-
trodūcta; sive ex ipso Gentium jure obvia, eodem
variis limitibus circumscripta ac restricta sint.
Prioris generis est infinitus ille, ac per totam Ju-
ris materiam dispersus cautionum numerus, quae per
stipulationem plerumque perfici solent, ut credito-
rem vel de nostro, vel de alieno debito securum
pr*æ*stemus.

Verum nobilissimus, ac maxime pr*æ*clarus ca-
vendi modus est pignoris constitutio: egregium il-

*Iud commerciorum adjumentum : dum enim proprii
nummi ad manum non sunt ; alienos sine cautione
habere non licet (uti id scite Martialis lib. 12.
Epigr. 25.*

Cum rogo te nummos sine pignore , non habeo , inquis.

Idem , si pro me spondet agellus , habes.

Quod mili non credis veteri , Thelesine , sodali ,

Credis colliculis , arboribusque meis)

*præsentissimum remedium erit creditorem datis pi-
gnoribus securum reddere : uti eleganter Virg.*

— Atque animum præsenti pignore firmat.

*Atque hic quam validus , quam plenissimus sit ca-
vendi modus , effectus abunde demonstrant : inter
quos insimum locum non tenet , Jus distractionis quo sci-
licet credito rem oppignoratam vendere , & ex pretio
inde redacto , si debitor in satisfaciendo cessaverit ,
suum consequi possit . De hoc effectu cum animus sit
paucis disputare , necesse erit pignorum naturam ,
eorumque a se invicem distinctionem , quantum in-
stituti ratio postulat breviter præmittere , quo-
niam pro horum varietate etiam distrahendi ratio
variat .*

DIS-

D I S P U T A T I O J U R I D I C A

I N A U G U R A L I S.

D E

Distractione Pignorum , &
Hypothecarum.

§. I.


Ignoris vocem , late sumpto vocabulo , etiam hypothecam comprehendere , patet ex l. 1. pr. de pign. act. cum alioqui , stricte sumptis vocabulis , in eo a se invicem differant , quod pignus constituatur per ipsius rei traditionem , hypotheca vero per nudum pactum , manente rei possessione penes debitorem . l. 9. §. 2. de pign. act. Nos autem in sequentibus promiscue utrâque voce utemur , differentiam subinde suis locis notaturi .

Cæterum utraque vox variis modis in jure nostro accipi solet : nunc pro contractu pignoris , & pacto hypothecæ , nunc pro jure in re , quod per utrumque creditori constituitur . Hic vero , cum de distractione agamus , potissimum ipsam rem pignori , vel hypothecæ obligatam intelligimus . Et definimus ita : pignus est res creditori obligata in securitatem debiti : quæ ultima verba pignus imprimis ab aliis negotiis distingunt , & accessionem principalis debiti esse indicant .

§. II.

Obligatur autem res pignori vel publicâ , vel privatâ autoritate . Atque publica autoritas , cum imprimis duplex sit : Lex , vel Magistratus , pignus hac ratione quoque dividitur

6 A DISPUTATIO JURIDICA

in Legale & Pratorium. Legale est, quod ipsius Legis autoritate constituitur, de quo in tit. quib. caus. pign. tac. Pratorium est, quod auctoritate Magistratus constituitur. l. 1. & 2. C. de pret. pign. & subdividi solet in Pratorium in specie, quod constituitur ante sententiam per missionem ex primo decreto in possessionem bonorum contumacis, qui respondere vel cavere non vult ad conservandum alicui jus suum. Et Judiciale, quod judicati exequendi causa in bonis condemnati, qui sententiae parere recusat, constituitur. l. 1. & 2. C. si in caus. jud. l. 10. ff. qui pot. in pign. l. 2. C. eod. Idque vel per pignorum captionem, uti ordinario: vel per missionem in possessionem; modo utroque casu actu pignora capta, vel in possessionem ventum sit. l. 26. §. 1. de pign. Act.

Privata auctoritate pignus constituitur vel inter vivos per conventionem: vel in ultimâ voluntate per testamentum vel codicilos. l. 26. pr. ff. de pign. A. l. 12. de alim. leg.

Secundo loco pignus dividitur in generale & speciale: illud omnia debitoris bona afficit. l. f. C. quares pign. hoc tantum rem specialem l. 16. ff. de pignorib.

§. III.

Omnia hæc pignorum genera in eo conveniunt, quod distrahi possint: ideoque videndum quid sit distractio? Nomen habet distractio à distrahendo, quæ vox in propriâ significatione denotat ab invicem separare, divellere. sic Virg. 7. Æneid. Turbatis distractus equis.

Improprie autem, ac juridica magis significatione distrahere aliquando idem est, quod dirimere, decidere, & hoc sensu capiendum illud Ciceronis pro Cætinâ: Omnia judicia aut distractendarum controversiarum, aut maleficiorum puniendorum causa reperta sunt.

Aliquando idem sonat, quod dissolvere id, quod consensu initum est. §. 4. Inst. de obl. quas. ex cont. l. 5. §. 3. ff. de obl. & act. l. 11. §. 6. ff. de act. empt. sic distracti dicitur matrimonium per divorcium. l. 2. pr. ff. de divorc. sic distracti dicitur societas. l. 63. §. ult. l. 65. ff. pro Socio. atque ita distractionem societati opponit Cicero. de Off. Nulla nobis cum tyrannis societas

societas est, sed summa potius distractio. At hic quando de distractione pignorum loquimur, nihil aliud significamus, quam venditionem: utpote per quam res non uni tantum, sed etiam pluribus emptoribus addici, ac ab iis in diversa loca ac regiones trahi atque auferri solent.

§. IV.

Cæterum vendi pignus non tantum potest à Creditore, sed etiam ab ipso debitore: hic enim, cum rem oppignorando, ejus dominium non amittat, eam alteri vendere ac alienare potest; ita tamen, ut transcat res cum suo onere, & salvum maneat jus creditoris. l. 12. C. b. t. l. 15. C. de pignorib. l. 10. de remiss. pign. &c. In universo enim jure perpetuum hoc est: rem, quando ad alium transfertur, talem transferri, qualis fuit apud eum, qui tradit. l. 20. §. 1. de A. R. D. Modo tamen creditor expresse vel tacite alienationem ratam non habuerit: hoc namque casu remississe pignus videtur. l. 4. §. 1. ff. quib. mod. pign. solv. l. 7. eod. Alia notabilis exceptio est in. l. 34. pr. ff. de pignor. in tabernâ oppignorata: merces enim libere vendi possunt, nec actio possessorem sequitur, nisi distrahendi causa præclusio facta sit. Cujus rei ratio in favore commerciorum sita est. Potest ergo debitor pignus alienare: attamen, si furandi animo rem distraxerit, furtum committit. l. 66. pr. ff. de furt. Sed quæri hic solet, anne hæc alienandi potestas à creditore aliquâ ratiore impediri possit? Quod Aff. nimirum per pactum de non alienando, nam contra illud pactum alienationem nullam esse placet, ut pactioni stetur. l. 7. §. ult. ff. b. t. Reconvalescere tamen hoc casu quoque alienationem, si ex pretio redacto creditor debitor satisfecerit, indubium est.

§. V.

Præcipua vero distractio, quæque extrellum quasi est in pignore, sit à creditore. Eaque in omni pignorum genere locum habet (ut jam supra monere cœpimus) imo etiam in pignore, uti vocant, Antichretico: quicquid in contrarium afferat Ant. Fab. Idque adeo verum est, ut, etiamsi contrarium debitor pactus sit, tamen venditio procedat. Distrahit

S DISPUTATIO JURIDICA

strahit autem creditor pignus vel publicā , vel privata autoritate . Publica autoritate distrahitur pignus Prætorium & Judiciale . Privata autoritate reliqua pignora distrahi solent .

§. V I.

Verum ut hæc distractio rite instituatur , videamus quænam observanda sint : non enim omnibus ; non omni tempore ; non omni denique modo permissa est , ideoque hæc omnia seorsim excutienda sunt . Vendi ergo potest pignus à creditore , cui id constitutum fuit ; ita tamen , ne ejus hæredem excludamus , utspte succedentem in omne jus defuncti : imo hoc quandoque ad singulares successores extenditur , ut : si venditum , vel in solutum datum fuerit nomen , cui pignoris nexus cohærebat . l. 6. C. de O. & A. l. 14. C. de fidej. Sed neque hoc , ut legitimum distractio habeat effectum , sufficit , sed insuper id leges requirunt , ut distrahens ordine prior fuerit creditor . l. 2. C. de his qui in prior. loc. l. 1. l. 5. ff. b. t. Si enim posterior creditor pignus viderit , priori id non nocet , & id persequi contra quen- cunque possessorem ipsi integrum est . dd. II.

Sed hac in parte insigne est fisci privilegium , ab eo enim distractis pignoribus anteriores etiam creditores in rem actionem amiserunt . l. 8. C. de remiss. pign. Distrahit autem creditor pignus liberā voluntate , neque ad id cogi potest , etiamsi pactum de vendendo adjectum sit , quoniam id in gratiam creditoris conventum videtur . Casum tamen exhibet Pomponius in l. 6. ff. de pign. A. nimirum , si debitor insolvendo , & pignus multo majus sit debito , idque hodie pluris venire possit . Attamen ne absolute creditor ad venditionem cogi videatur , ita hoc temperatum à JCto : ut potius debitor ipse distrahat , & creditor futuro emptori inspiciendæ rei , si mobilis sit , copiam faciat , præstítâ cautione de indemnitate . Potest ergo creditor distrahere : sed hic notanda venit differentia inter pignus in specie & hypothecam ; illud enim statim si quidem possideat , servatis iis , quæ jure requiruntur , distrahere potest : hujus vero possessio cum penes creditorem non sit , eam , priusquam vendi-

venditionem instituere possit, hypothecaria actione à possessore avocare debet: idem quoque in pignore in specie, si ejus possessionem amiserit. *l. 14. C. b. t.* Unde quæri solet, an non possit creditor propriâ autoritate occupare hypothecam, si ita convenerit? Affirmantium opinio Juri nostro magis convenire videtur. *l. pen. C. de pign.* *A.* ita tamen, ut hoc pactum contra tertium possessorem nullum habeat effectum, sed tantum contra ipsum debitorem, modo & ipse non resistat, hoc enim casu Præses adeundus est. *l. 3. C. de pignorib.* attamen processu sententiaque opus non esse tradit Sandius. *lib. I. tit. 12. def. 3.*

§. VII.

Hæc de personâ distrahente dixisse sufficiat. At monimus supra temporis quoque habendam esse rationem, ut intelligatur non posse fieri distractio antequam debitor in morâ sit constitutus.

Moram hic accipimus faciendæ solutionis frustratoriam dilationem. Et notandum, quamvis debitor videatur semper esse in morâ, simul ac scit se debere; inhumanum tamen hoc visum fuit juris Autoribus, ut eodem quis tempore fiat debitor, & in morâ sit; imprimis cum non videatur moram facere, qui non solvit, quamdiu creditoris nihil interest rem habere. *l. 88. de R. f.* Adeoque, ut quis in morâ constituatur, alterutrum horum regulariter intercedere debere existimarunt: *interpellationem hominis*, vel *lapsum diei*, qui solutioni adjectus fuit; ille enim dies interpellat pro homine. *l. 23. pr. ff. de O. & A. l. 12. C. de contrah. stip.* Hinc est, quod, cum solvendæ pecuniæ dies pacto profertur, etiam prius pignus vendi non possit. *l. 4. ff. b. t.* Imo cum debetur quid sub condit. vel die, etiamsi pignus pure datum sit, distrahi tamen non potest, nisi dies, aut condition extiterit. *arg. l. 5. ff. de pignorib. l. 13. §. pen. cod.*

§. VIII

Pergamus ad modum quo distractio peragitur. Hunc duobus verbis exhibit. *l. 9. C. b. t. bona fide*, & *solemniter*. Bona fides excludit dolum & fraudem. Vendenda ergo res

B est,

10 DISPUTATIO JURIDICA

est, quantum fieri potest maximi; nec ullo modo cum emptore vel de pretio colludere, vel per gratiam facere potest creditor, ut minoris vendatur. *l. 3. C. si vend. pign. ag.* Sed si nihilominus fraus commissa sit, hi casus distinguendi videntur: aut enim solus creditor fraudem commisit, vel solus emptor, vel uterque. Primo casu debitor actione pignoratiæ a creditore consequi potest quod suâ interest. *l. 1. C. si vend. pign. ag.* non ab emptore. Sed quid si vendor solvendo non sit? Resp. tamen emptor, qui in bonâ f. est, nullo modo tenetur. *d. l. 1. & l. 4. C. si vend. pign.* Secundo casu, si solus emptor in malâ f., debitor potest creditorem actione pignoratiæ convenire, ut sibi actionem venditi, quam habet contra dolosum emptorem, cedat, quâ ab eodem omne suum interesse consequatur. Atque hi duo casus satis expediti sunt. Tertius vero casus, cum sc. uterque dolum adhibuit, haec tenus etiam clarus, si creditor solvendo sit. Si vero contrarium eveniat, certum est debitori in subsidium regresum dari adversus emptorem, nec debitorem sine suâ culpa damnum, emptorem contra ex improbitate suâ lucrum sentire statuamus, & patet ex *d. l. 1. & 4.* Sed major difficultas est, quo remedio debitori succurratur? Meo judicio non absurdâ videtur sententia existimantium, locum esse restitutioni in integrum ex *claus. gen. in l. 26 §. 9. ff. ex quib. cans. maj.*

§. IX.

Cæterum non tantum sufficere diximus, si bonâ fide distractio per agatur, sed insuper, ut solenniter fiat, necesse est. Conſitunt autem hæ solennitates præcipue in denunciationibus, quibus debtor præmonendus, nisi satisfaciat, futurum, ut creditor rem distrahat. Ubi tres casus distinguendi: aut enim convenit, ut pignus certo tempore vendere liceret; aut nihil convenit; aut convenit ne distrahere liceat. Priori casu distractio procedet post lapsum diei, de quo convenit, nec opus erit ulteriori denunciatione. *l. 3. §. 1. C. de jure dom. imp.* quæ lex duplex supeditat argumentum: 1. ea observanda esse, de quibus inter partes

I N A U G U R A L I S . II

partes convenit. 2. quia tum demum denunciatio facienda est , cum nulla pactio intercessit. probat hanc sententiam quoque. l. 12. C. de cont. stip.

Secundo casu, si nihil convenerit , facienda est unica denunciatio. d. l. 3. §. 1. C. de jur. dom. imp. huc etiam referenda l. 4. C. b. post eam biennum est expectandum : d. l. 3. §. 1. (& hæc quoque communis DD. sententia) eoque elatio, ad distractionem procedi potest.

Tertius casus , quo nimurum convenit , ne distrahere licet , effectum non sortitur, haec tenus sc., ut inhibetur distractio , attamen id efficit , ut triñā opus sit denunciatio ne : imo, si hac omisſā, creditor pignus vendiderit, furti tenetur. l. 4. ff. de pign. A. Dubitari possit de hujus juris ratione , quoniam creditor, liberā voluntate hanc sibi legem dicens , juri pro se introducto legitime renunciasse videtur; quæ ratio Pinellum adeo movit , ut dicere veritus non fuerit, tale pactum venditionem prorsus impedire , contra luce meridianā clariorem textum in d. l. 4. de pign. A. Vera ratio, meo judicio, hæc est, quod tale pactum naturæ pignoris aduersetur, ideoque servandum non sit. l. 38. ff. de pact. Parum enim creditori prospectum foret per pignus , si nunquam vendendi esset potestas. Porro de hoc casu à DD. quæri solet , an , uti in priori casu , ita & hic post ultimam denunciationem biennum sit expectandum ? arque affirmantium opinioni calculum hic adjicere non vereor : ne melioris conditionis sit is, qui vendere prohibitus , quam qui non prohibitus fuit : & in d. l. 3. §. 1. tunc biennum expectandum dicitur , cum nihil de distractione con venit.

§. X.

Altera pars solemnitatum spectat ipsum distrahendi actum: fieri namque oportet per auctionem , publice bonis pro scriptis. l. 4. C. b. (de quibus latius ad distractionem , quæ publicâ sit auctoritate.) idque ex eo inferri videtur , quod Lex 22. §. 4. ff. de pign. A. tanti præcipit vendere , quanti potuit ; sed quis hoc absque auctionis ope definiat ? facit huc

12 DISPUTATIO JURIDICA

quoque d. l. 9. C. h. in tantum, ut vix valere videatur pactio, ut privatim vendere liceat, quoniam semper hic suspecta est creditorum avaritia, & debitorum necessitas.

§. X I.

Atque hæc de distractione, quæ privatæ fit autoritate dixisse sufficiat. Publicæ autoritate tantum distrahuntur pignora publica: neque enim juri nostro conveniens videtur, quod quidam volunt, etiam pignora privata, judiciali sententiâ non præcedente, Magistratus autoritate posse distrahi: duobus namque casibus tantum de magistratus autoritatis intervenitu legimus: vel quando contra latitatem debitorem proceditur ad secundum decretum, & bona, curatore constituto, vendi jubentur; vel cum post sententiam, exequendi judicati causâ, magistratus pignora capi, vendique decernunt. Hæc distractio semper sub hastâ fieri solet, unde subhastatio dicitur; Hæc multa habebat solemnia, quorum precipua hæc erant: Res vendendæ publice proscriptebantur, libellis celeberrimis civitatis locis propositis, juxta illud Ciceronis pro Quinto. *de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem certe, tacite obscureque conceduntur.* Erant autem hi libelli tabulae quibus dies distractionis denunciari, ac rerum vendendarum enumeratio exhiberi solebat. Cic. in Rull. *utrum hac lex, an tabula Veratiana auctionis? in qua scriptum fuisset aijunt: jugera ducenta in quibus olive-tum fieri potest. Eo.* Neque solum libellis propositis hæc distractio denunciabatur, sed etiam vivâ praœconis voce, quæ praœconium dicebatur. Deinde etiam requirebatur *hasta* in signum publicæ autoritatis, uti testatur festus in verbo *hasta: hasta subiciebantur ea, quæ publice venundabant, quia signum præcipuum est hasta.* Tum porro locus publicus; Romæ in foro ad tabernas argentarias. Item *praco*, qui pretium oblatum enunciaret, ac prædicando conficeret. Hujus vocem sequentur licitationes, adjectiones, denique plurimum licitanti res addicebatur. Addictione ita solenniter factâ, omnis *ad municipiū*, ubi iterum speciale privilegium fisci, si is bona *hasta*

hastæ subjecerit, ut intra certum tempus augeri pretium possit, & priori, cui jam addicta res fuerat, posterior plus offerens præferri. *l. 4. C. de fid. & jur. hast. fisc.* Plura hac de re vid. apud. A. Matth. *tr. de Auct.*

§. X I I.

Hic modus distrahendi pignora publica communis, videamus jam quid in singulis speciale sit. Ubi primo de pignore *prætorio in specie* notandum; quod creditor, qui in bona latitantis mittitur, non statim possit distractionem instituere: missio enim ex *primo decreto* jus custodiendi tantum tribuit. *l. 12. ff. quib. ex caus. in poss. eat. l. 3. §. ult. de acq. poss.* sed demum, si constet debitorem fraudandi animo latitare, ex *secundo decreto* mittetur creditor, ac distrahendi potestatem acquiret. *l. 7. §. 1. quib. ex caus. in poss. eat.* Idcoque, si quis distraxerit bona alicujus, tanquam dolose latitantis, qui non latitabat, consequens erit dicere, venditionem nullius esse momenti. *d. l. 7. §. 3.*

§. X I I I.

In Judiciali pignore ita proceditur: Si intra quatuor menses, a condemnationis tempore numerandos, *l. 2. C. de usur. rei jud.* debitor non satisfaciat, pignora capiuntur. *l. ult. C. de exec. reij.* expectantur duo menses. *l. 31. inf. ff. de re jud.* si nihilominus in solutione moretur, pignora capta sub hastâ distrahuntur. Ordinem autem, qui in pignorum capione & distractione observari solet, late exhibit *l. 15. ff. de re jud.* summa ejus huc reddit: initium faciendum a rebus mobilibus ac animalibus: si vero tales non habeat, vel ex his satisficeri judicato non posse, pergendum ad immobilia, ac res soli: si neque has habeat, vel non sufficiant, denique ad nomina & jura pervenitur. Et si forte rerum, quæ pignoris jure capta sunt, controversia moveatur, judex summatis hac de re cognoscet; sed, si latoris res sit indaginis, dimisso pignore controverso, aliud non controversum, si haberi possit, capi jubebit. quæ omnia in *d. l. 15.* Ita hæc quidem Jure R. distinguuntur, verum moribus nostris distractio pignorum privatâ autoritate incognita

14 - DISPUTATIO JURIDICA

prorsus est: semper enim per judicem pignus evincendum, ejusque autoritate distractionem faciendam esse, testantur Neoft. decis. S. C. Holl. 90. item Merul. 4. prax. tit. 100. n. 10. & Groenew. ad §. 1. Inst. quib. al. lic.

§. X I V.

Cæterum venditionem pignoris debitor impedire potest, si ante eam peractam totum debitum cum usuris offerat, vel, si creditor id accipere nolit, pecuniam obsignatam depontat. l. 1. C. qui pot. in pign. l. 8. C. b. t. l. 19. C. de usur. partem enim offerendo pars pignoris non liberatur, sed in solidum obligatum manet, ita ut distrahi quoque possit. l. 6. C. h. Atque hinc est, quod, licet l. 12. Tabb. nomina & obligationes tam active, quam passive inter hæredes, tum creditoris, tum debitoris, ipso jure divisa sint, pignoris obligatio tamen maneat individua; adeo, ut, si unus ex hæreditibus debitoris pro suâ parte debitum solverit, pignus pro câ parte non liberetur, sed nihilominus distrahi possit. l. 16. C. b. l. 1. C. de luit. pign. Eodem modo ab alterâ parte: si creditor pluribus hæreditibus relictis deceserit, atque uni pars sua a debitore soluta sit, pignus tamen reliquis in solidum obligatum manet, &c, nisi omnibus satisfactum fuerit, distrahi potest. l. 1. C. sun. ex plur. l. 11. §. 4. ff. de pign. A. quod tamen in d. l. 11. ita limitatur: ut cæteris creditoribus, quibus portio sua soluta non est, si pignus a debitore avocare velint, is non teneatur id tradere, nisi oblatum ipsi fuerit quod co-hæredi solvit.

§. X V.

Verum in hujus juris rationem DD. solent inquirere: cum enim debitum principale, (uti dictum) tam active, quam passive inter hæredes sit divisum, & pignus ejusdem sit accessorium, videbatur idem etiam in pignore dicendum, cum tritum sit, accessorium suum sequi principale. Ratio diversitatis videtur petenda præcipue ex favore creditoris, ut facilius possit res distrahi: communio enim, cum sit odiosa, & mater discordiarum, l. 77. §. 20. de legat. 2. non facile ad partem

partem emendam sese offerent emptores.

§. XVI.

Neque solum ipse debitor distractionem pignoris, offerendo debitum, uti explicuimus, impedire potest, sed etiam quilibet alius; cum etiam pro invito solvi possit. *l. 23. ff. de solut.* Sed ejus rei diversus est effectus, pro diversitate personarum offerentium: si enim posterior creditor, cui eadem res oppignerata est, debitum priori obtulerit, in ejus locum succedit. *l. 2. l. ult. C. de his, qui in pr. loc.* Si vero aliis, uti chirographarius creditori obtulerit, non aliter in ejus locum succedit, quam, si expresse de pignore patet sit. *l. 1. C. d. t.*

§. XVII.

Nisi ergo debitor debitum offerat, distractio procedit, & frustra creditori denunciat ne vendat. *l. 2. C. debit. vend. pign. imo, etiamsi testamento prohibuerit, ne res distraheretur, & poenam addiderit, ut fisci fieret, tamen distractio valebit. l. 1. C. d. t. ratio est, quia illa prohibitio ad creditorem nil spectat, sed debitoris haeredes obligat.* frustra quoque post venditionem peractam debitum offert *l. 3. pr. ff. b. l. 2. C. si anig. cred.* venditio enim rite ac solenniter facta, omnino firma esse, atque effectum sortiri debet. Excipit tamen Modestinus casum, quo secundus creditor emit, quia is non tam acquirendi dominii, quam pignoris sui servandi causa emissè censetur. *l. 6. ff. b.* Idem quoque obtinet in omni tertio possessore, qui per legitimam distractionem rem consecutus non est: qualis etiam is, qui hypothecariæ a creditore convenitus, litis æstimationem solvit. *l. 28. de pign. A. l. 2. ff. quib. mod. pign. solv.*

§. XVIII.

Distractio ita legitime peracta nobilissimos operatur effectus: ac primo quidem translationem dominii rei venditæ in emptorem; unde ipsi rei vindicatio competit, etiam contra ipsum debitorem; *l. 15. C. b. t.* adeo, ut neque de proprietate vinci possit. *l. 18. C. cod.* Et hic notandum, jus ilud.

Iud esse singulare, ut creditor, qui proprietatem rei non habet, distrahendo, emptorem dominum faciat. *l. 46. de A.*
R. D. quod hac ratione nititur; quia venditio voluntate ipsius debitoris fieri intelligitur: hic enim, dum rem pignori obligat, id eis videtur, (etiam si expresse de eo non convenerit) ut, si debitum non solverit, creditori ex pretio rei satissiat; adeo ut creditoris persona, tanquam procuratoris in rem suam, intervenisse videatur. *§. 1. Inst. quib. al. lic.* In Publico autem pignore, quamvis talis tacita conventionis non sit, in vicem justae obligationis ex consensu succedit autoritas jubentis. *l. 1. C. s. in caus. jud.* Sed ita demum ad emptorem transit dominium, si res debitoris propria fuerit, alias tantum usucapiendi conditio transfertur: iniquum enim foret, si hoc pacto vero domino præjudicium inferatur. *l. 12. §. 1. ff. b. t.* Ubi iterum ingens privilegium fisci: ab eo enim distractæ res irrevocabiliter in emptorem transferuntur, adeo, ut ne quidem rescripto Pr. venditio rescindi possit, neque minoribus succurratur. *l. 5. C. de fid. & jur. hast. fisc.*

§. XIX.

Si ergo res alieni dominii fuerit, evinci a domino potest; quod adeo verum est, ut etiam publicâ autoritate facta distractio evictionem non impedit. *l. 74. §. 1. ff. l. 13. C. de evict.* Sed, cum jure ordinario vendor evictionem præstare teneatur, hic singulariter receptum est, nec creditorem, nec judicem distractentem de evictione teneri. *l. 50. ff. de evict.* *l. 10. ff. b. t.* nisi dolose versatus sit. *l. 11. §. 16. ff. de act. empt.* *l. 2. C. cred. evict. pign.* Sed emptor regressum contra debitorem habet. *t. t. C. cred. evict. pign.* cum enim iniquum sit, ut bonæ fidei emptor damnum ferat, consequens est, ut debitor de eo teneatur: tum, quia debitori premium ad liberationem proficit, & creditor non nisi suum accepit: tum, quia ipse debitor (uti dictum) alienasse videtur. Repetet ergo emptor à debitore premium utili ex empto actione. *d. l. 74. §. 1. ff. de evict.* Poterit quoque creditorem actione empti convenire, ut sibi actionem pignoratitiam con-

confratiam contra debitorem cedat. l. 38. ff. de evit. Quid vero, si creditor evictionem promiserit? certum est, quod ex promissione ab emptore conveniri possit, sed regressum contra debitorem habebit actione pignoritatiā contrariā l. 22. §. ult. ff. de pign. A. imo actione principali ipsum debitum persequi poterit. l. 12. §. 1. in fin. de pign. A. quia tum demum solutio liberat debitorem, cum res, vel pretium ita in creditorem transfertur, ut revocari nequeat.

§. XX.

Porro id efficit distractio, ut obligatio principalis extinguitur, si, nimurum, expretio suum consecutus sit creditor; pignore enim minoris distracto, actione principali ex contractu quod deest petere non prohibetur. l. 3. l. 9. Cod. b. t. l. 9. §. 1. ff. eod. Contra: si pignus pluris distractum fuerit (cum ita lex creditori succurrat, ne debitor damnum patiatur) quod superest actione pignoritatiā à creditore repetere potest. l. ult. C. b. l. 24. §. 2. l. 6. §. 1. pen. ff. de pign. A. Pretium autem ex venditione redactum primo imputatur in usuras, & quod reliquum est in sortem. l. 35. d. 1. quod iterum hic speciale; (alias enim debitoris est electio pro quo debito solutum velit) quia audiendus non est debitor, qui, cum parum idoneum se sciat, eligere vult quo nomine pignus exoneratum malit. verba sunt d. l. 35. Ideinde, quia, cum creditor hic sibi solvat, eligere potest. Eliget autem ut primo in usuras solutum imputetur, quoniam usuræ minus favorabiles, atque semper per actionem peti non possunt, ideoque quod sorti deest, facilius postea consequitur.

§. XXI.

Et haec quidem, si emptor inveniri possit; si vero vel plane non, vel tolerabili pretio non inveniatur, cum publica autoritate pignus venditur, creditori addici potest, pro quantitate debiti. l. 15. §. 3. de rejud. cum vero privatā autoritate sit distractio, petere potest, ut sibi jure dominii possidere liceat. Eum in finem igitur de novo fit denunciatio debitori, vel absenti certum tempus præfigitur,

18 DISPUTATIO JURID. INAUGUR. I

intra quod , si non compareat , creditor dominium à Principe impetrare potest ; ita tamē, ut debitori intra biennium ab imperatione pignus luere integrum sit, quæ omnia in d. 4
3. C. de jur. dom.

§. X X I L

Sic vidimus distractionem pignorum , & quomodo procedat. Colophonis loco modos quosdam addamus , quibus illa vitiatur.

1. Nulla est distractio , si creditor jus vendendi nondum habuerit , ut : si debtor non fuerit in morā: uti in debito conditionali vel in diem , nondum existente die , vel conditione : sic , (uti §. 12. dictum) si , tanquam latitantis , vendita sint bona ejus , qui non latitabat.

2. Quoties pignus nullum est , etiam venditio nulla est , ut : si mulier pro alio pignori dederit . l. 39. §. 1. l. 40. de rei vind.

3. Si debitum vel pignus extinctum fuerit , ut : per solutionem : oblationem & depositionem consignatae pecuniae . l. 3. C. b. l. 19. C. de usur. Omnibus ergo his casibus manet dominium penes debitorem , ac rem à quocunque possessore vindicare ipsi integrum est . l. 2. C. si vend. pign.



C O

GOROLLARIA.

I V

I.

Pignoris vinculum, personali actione sub-
mota, durare potest.

II.

Pignus etiam naturali obligationi accedit.

III.

Pactum Legis Commissoria in Pignoribus
prohibitum est.

IV.

Qui credidit ad navis refectionem non gan-
det tacitâ hypothecâ.

V.

Invecta & illata in predium Rusticum
ta-

Tacito pignoris jure non tenentur.

V I.

Res aliena oppignorari non potest.

V II.


*Generalis hypotheca etiam merces venales
comprehendit.*


VIII.

*Dotis promissio sub incerta quantitate
invaleret.*



V





H.-G.P.

